



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

255. An bulla Pii V. quæ incipit, Et si Mendicantium, & quæ amplissima regularium privilegia continet, fuerit revocata per Bullam Greg. XIII. quæ incipit. In tanta, &c. Ex p. 11. tr. 2. & Misc. 2. r. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. CCLIV.

An Bulla Pij V. qua incipit: Et si Mendicantium Ordines, sub 17. Kal. Junij 1567. fuerit reuocata per aliam Bullam Greg. XIII. qua incipit. In tanta, &c. Ex p. 3. tr. 2. Ref. 107.

§. 1. Hic casus multum interest Regularibus, quia Pius V. concedit in dicta Bulla amplissima priuilegia, & ideo dictam constitutionem Greg. XIII. non fuisse promulgatam, nec in praxi receptam, testatur Peyrinus in priuile. Min. tom. 2. consil. 7. Pij V. §. 1. n. 2. Henrici lib. 7. de Indulg. c. 24. n. 8. Thom. à Iesu de procur. omni. gent. Iulian. lib. 12. c. 8. Hieronym. Llamas in meth. p. 1. c. 7. §. 6. Nauar. in man. c. 27. in fine, ubi testatur, quod licet Greg. XIII. voluerit dictam Bullam promulgari, tamen postea non publicauit. At tamen Barbofa de potest. Episc. p. 3. alleg. 76. n. 29. & alij tradunt prædictam Bullam Pij V. fuisse reuocatum, & ad terminos iuris, & Concilij Tridentini redactam

RESOL. CCLV.

An Bulla Pij V. qua incipit: Et si Mendicantium, &c. que amplissima Regularium priuilegia continet, fuerit reuocata per Bullam Greg. XIII. qua incipit: In tanta, &c. Ex p. 1. tr. 2. & Misc. 2. Ref. 6.

§. 1. Negatiuè respondet Pater Bruno de Priuile. Regul. part. 1. tract. 1. cap. 5. propos. 6. per totam. Probat primò, quia Gregorius in eadem Bulla declarat se moueri ad illam reuocandam quoniam ad ipsum peruenerat, quòd ipsum Pius illum per aliam à se editam, reuocauerat: Sed Pius V. nunquam dictam suam Bullam reuocatoriam, si quæ sit, publicauit, teste Nauar. capit. 25. numer. 5. ergo non fuit reuocata per dictam Bullam Greg. XIII. quoniam vt est communis sententia, cessante causa cessat effectus, vbi in lege, & statuto expressa est causa: vt tenent Rota decision. 337. numer. 3. apud Farinacium part. 1. Recent. Scaccia de appellat. quest. 5. n. 18. Florent. decis. 1. numer. 61. Casar. Argum. de contrariet. leg. quest. 5. numer. 15. Secunda ratio, quoniam post quòd dicta Bulla Gregorij vim habuerit reuocandi dictam Bullam, illam tamen non reuocaret in multis articulis: quia hæc Bulla Pij continet, Primò, nouas constitutiones contrarias Concilio Tridentino, & iuri communi. Secundò, dicti Concilij declarationes: prioribus derogaret, posterioribus minimè, cum de his nullam penitus mentionem faciat Gregorius: imò illas confirmauit iuxta Rodericum in expositione Cruc. §. 9. dub. 1. numer. 32. & Portell. part. 2. casu 26. numer. 7. Ergo cum huiusmodi declarationes Pij, non faciant contra Tridentinum, cum declarans nihil noui agat, iuxta Clementinam Eximus de verb. signif. & Glossam in cap. per suas. vers. nono, de donat. & qui declarat legem, non mutat naturam, aut essentiam dispositionis, iuxta Roland. consil. 1. numer. 27. volum. 30. Dec. consil. 1. numer. 311. lib. 9. Menoch. consil. 331. numer. 109. proculdubio declarationes illæ in dicta Bulla Pij V. contentæ, per Bullam Gregorij non reuocantur. Tertia ratio, quia reuocatoria Gregorij cadit supra priuilegia noua à dicto Pio concessa, declaratio autem verborum Concilij non est priuilegium, sed lex, cum Pape declaratio faciat legem: vt tenent Suarez de legib. cap. 1. lib. 6. numer. 6. & seqq. Portell. part. 2. capit. 26. numer. 4. ergo hæc declaratio à Gregorio non est reuocata. Accedit quarta ratio, quòd omnes

declarationes, quæ in dicta Bulla reperiuntur, quæque Concilio Tridentino non opponuntur, sunt in vicidi obseruantia: & quoties Ordinarij conati sunt illis contradicere quasi ab antedicta Gregor. XIII. Bulla reuocatis, Papa, vel Sacra Congregatio illas validas confirmauit, vt ex quarundam enumeratione faciendâ constabit. Nam primò declaratio Pij V. cap. 9. sess. 22. illius Concilij, qua scilicet possunt sæculares audire Missam in Ecclesiâ Regularium, fuit confirmata à Clemente VIII. vt refert Hieron. Rodericus Resol. 25. numer. 5. & ab Urb. VIII. anno 1625. Secundò, declaratio cap. 15. sess. 23. & capit. 10. sess. 25. videlicet, quòd confessorij Monialium non examinentur ab Ordinario, confirmata fuit à dicta Congregatione, vt refert Barbofa in Remissionibus ad sess. 25. capit. 10. Concilij Tridentini. Tertio, declaratio capit. 2. session. 5. quod Concionatores non sint ab Ordinario examinandi ad prædicandum in proprijs Ecclesijs, fuit confirmata in Cong. Cardinalium, vt refert Reginald. lib. 18. numer. 123. Riccius decis. 290. Barbofa ad sess. 5. cap. 2. Quarto, declaratio capit. 5. sess. 25. quòd Episcopus non possit dare licentiam ad ingrediendum in exemptarum Monasteria, aut in Monialium sibi ditorum Regularibus, fuit confirmata ab eadem Congregatione, vt refert Farinacius. Andreas, & Barbofa ad sess. 25. capit. 5. Quintò, declaratio capit. 13. sess. 25. videlicet, quòd quarta funeralis non intelligatur nisi de illo quod affertur die sepultura, fuit etiam à Congregatione confirmata, vt refert Portell. part. 2. cas. & numer. 3. & sic de quibusdam alijs, vt in decursu huius operis videbitur. Vltima ratio est, quòd licet Bulla Gregorij XIII. publicata fuisset, & recepta, tamen postea illam idemmet Gregorius reuocauit, confirmando amplissima confirmatione priuilegia minorum cum clausula derogatoria suæ antedictæ constitutionis, sub datis die 25. Maij 1573. B. qua incipit: ex benigna. Et quoniam omnia verba illius adducere nimis prolixum esset, ideo clausulam derogatoriam quam post confirmata, & concessa de nouo motu proprio, & ex certa scientia minorum priuilegia, & declarationes, sic ponit, Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus super Cathedram, &c. Priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis etiam in forma Breuis per Leonem X. Clementem VII. Paulum III. Iulium etiam III. Paulum IV. Pium etiam IV. prædictos, ac etiam Pium V. & quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam Nos, & Sedem eandem, etiam motu proprio, ac scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusuis irritatiuis, annullatiuis, cassatiuis, etiam priuilegiorum eorundem reuocatiuis, &c. Quibus omnibus hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus. Ita Pontif. x. Et hæc omnia docet Brunus, vbi supra, qui citat pro sua sententia Llamas, Peyrinum, Thomam à Iesu, & alios, & ad firmanda Priuilegia Regularium maximè se fundat in dicta Bulla Pij V.

2. Sed non desunt Auctores Regulares contrariam sententiam tenentes, & ideo nouissimè doctus Pater Nicolaus Brauis in Tractatu Monastico cap. 1. numer. 9. sic ait, Solum potest esse dubium de priuilegio illo Pij V. quod incipit: Etsi Mendicantium, &c. quod etiam pro nostra obseruantia Hispaniæ sicut pro alijs expeditum habemus, tom. 1. priuile. 8. vbi plura non obstante Concilio conceduntur. Et quidem hoc, dum durauit eius valor, ritè frui poteramus, veruntamen cessauit iam per reuocationem Gregorij XIII. in Bulla, qua incipit, in tantarum, & negotiorum mole, &c. tanquam si tales literæ nunquam emanassent. Et quamuis Henriquez l. 7. de Indulgent.

Sup hoc late in tom. 4. tr. 3. Ref. 87. figuranter à §. 2. &c.

Sup hoc infra in Retol. 345. & in illis eius primæ not. Sup hoc tertio, quamuis non pro examine, ne delectas legere supra doctrinam Ref. 58. & aliterius Ref. eius not.

Sup hoc supra in Refol. 251. §. His tamen.

Aulgent. cap. 24. in fine, sub verbo, videtur, dicat non fuisse promulgatam, aut vsu receptam hanc reuocationem Gregorij; oppositum tenet Flavius Cherubinus, in Compendio Bullary tom. 2. constitutio. 9. Gregor XIII. Schol. 1. Quaranta ad eandem Bullam; Paulus Piascius in praxi Episcop. 2. part. cap. 3. artic. 6. num. 8 Emanuel Rodriguez tom. 3. quest. 74. art. 16. Tamburin. tom. 1. de iure Abb. disp. 17. quest. 1. num. 16. & ita cenfeo cum eisdem, & alijs, Ita Brauus, quibus ego addo Bassium ver. Præuilegium 4. numer. 8. & Machadum tom. 2. libr. 4. part. 6. tractat. 10. docum. 11. numer. 4. vbi sic asserit, Pero base de aduertir, que aunque Pio V por dos constituciones concedio a los Religiosos que pudiesen predicar sin licencia del Obispo; y no obstante que ello contradixisse, reuocando con ellas mucha parte de lo dispuesto por el Concilio Tridentino en favor de los Obispos, Despues Gregorio XIII. reuocó estas constituciones, reduziendolas a los terminos del Decreto comun. y Concilio; y aunque es assi, que el mismo Pontifice Gregorio XIII. confirmó de nuono a los Religiosos Mendicantes los priuilegios que en esta razon les auia concedido Pio V. por las constituciones referidas; en la misma confirmacion puso clausula de que se entendiesen sin perjuizio de lo dispuesto por el Concilio Tridentino.] Ex his Pellizzarius in Man. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 1. sect. 4.

Sup. hoc in Re. folio, no. 126 §. in fine & in alio §. eius not. sed lege eam per totam, & si placet etiam §§. eius anot.

Sup. hoc la tissime supra in Ref. 148 149. eto. & artic. 9. alique oppositum sustinentes, non solum fuit reuocatum a Gregorio XIII. sed etiam a Gregorio XV. & Urbano VIII. in reuocatione generalium; huius vocis oraculorum Religiosis concessorum; vt proinde opinio Henriquez & eius asseclorum in præsentia nullo modo possit sustineri. Ita Pellizzarius.

Sup. hoc supra in Refol. 126 §. in fine & in alio §. eius not. sed lege eam per totam, & si placet etiam §§. eius anot.

Sup. hoc in tom. 2. tr. 5. Ref. 87. & in alio eius prima anot.

1. Notandum est tamen hic, quod quando Papa confirmans priuilegia Regularium, addit supra dictam clausulam, Dummodo Concilio Tridentino non sint contraria, non intendit reuocare nisi ea priuilegia, quæ præfata Concilio; ita sunt contraria, vt ab eo expressè reuocentur (quale erat, quod Regulares possent recipere Ordines Sacros ante ætatem assignatam in Tridentino sess. 23. cap. 12 quod ibidem expressè abrogatur); non autem intendit derogare priuilegijs, quæ quocumque modo sunt contraria Concilio Tridentino, sed ab eo in terminis non abrogantur: quale est priuilegium, quod iidem Regulares habebant, vt possent ordinari extra tempora; quod quidem est contrarium dicto Concilio oppositum statuenti sess. citata cap. 8. & tamen; quia et in Concilio non derogatur expressè, cadit sub generalem confirmationem priuilegiorum factam cum prædicta clausula, dummodo Concilio Tridentino non sint contraria. Priuilegia autem Regularium, quæ expressè reuocantur in Concilio Tridentino colliguntur à Ioanne de la Cruz in epitome l. 2. cap. 3. dict. 6 & facile reperuntur in ipso Concilio. Vide Portell. in dubijs Regul. ver. priuilegium numero 3.

RESOL. CCLVI.

An Regulares possint vti suis priuilegijs, etiam si contra illa habuerint contrarium vsu? Et an priuilegia Regularium per non vsu non prescribuntur nisi per centum annos? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 88.

§. 1. Affirmatiuè respondeo, & ita docet Portell. in addit. ad dub. Regul. ver. priuilegium numero 4. vbi sic ait. Quia modus frequentior amittendi priuilegia inter Regulares; est non vsus, seu contrarius vsus; libet pro Religioforum quiete hic transcribere verba, quibus Eugenius IV. concessit Congregationi S. Iustinae Benedictinorum, vt possint vti suis priuilegijs, etiam si contra illa habuerint contrarium vitium habetur concessio in Bullar. Rodriguez, fol. 29. vbi Papa sic concedit. Vt si quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus cõtraria huiusmodi aut quocumque alia priuilegia, indulta, gratias, immunitates præfata Congregationi concessa, aut ipsorum aliquod à quocumque cuiuscumque conditionis gradus, seu status existat ex negligentia, vel ignorantia præfatum, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quauis causa, propter quam aliter fuerit attentatum, vel pro tempore obseruatum ignorantes, vel scienter, nullum tamen præiudicium decretis, priuilegijs, Indultis, gratias volumus generari, sed in suo vigore, ac robore permanere. Sic ibi Summ. Pontifex, & Portell vbi supra; quod est valde notandum pro Regularium consolatione.

RESOL. CCLVII.

An Regulares communicantes in priuilegijs, communicent in penis illius Ordinis, de cuius priuilegijs participant? Et docent priuilegium communicabile posse ab alijs Regularibus exhiberi, quasi sub nomine propria Religionis transcriptum, & concessum absque nota falsitatis? Ex p. 10. tr. 12. & Misc. 2. Ref. 56. alius 55.

§. 1. Affirmatiuè respondet Pellizzarius in Man. Regular. tomo secundo, tractatu 8. capite 1. sectione 3. numero 48. Si dictæ penæ, ac prohibitiones, ait, sint odiosa Religiosis in particulari, vt censentur in fauorabiles toti Religioni; secus si ea sint odiosa, & Religiosis in particulari & toti Religioni, Decretum quod in priori casu penæ, ac prohibitiones continent rationem fauoris, in posteriori verò odij; sicque procedit regula iuris; odia restringi oportet, fauores ampliari. Et addit sensisse multos doctos recentiores à se consultos.

2. At ego magis adhæreo negatiuæ sententiæ tanquam communiori, & ideo illam tenet Lezana in Summa tom. 2. capite 1. numero 52. Bordontis in consil. Regular. tom. 2. resol. 51. num. 94. qui citat etiam Sigmundum à Bononia, Rodriguez, Mirandam, & alios; quibus ego addo Hieronymum Garciam in Politic. Regular. tom. 1. tract. 8. difficul. 1. dub. 4. num. 4. vbi sic ait: [Lo mismo digo de la pena, y censura. De suerte que no porque fulminen censuras contra una Religion, han de participar las otras della; lo vno porque odiosa sunt restringenda; y lo otro, que nuncia el Pontifice quære que en esto no comunicacion,